Illustrissime atque Excellentissime Baro, Domine Gratio-
sissime,

Ne citius ad priores litteras responderem, morbus primum effe-
cit. Postea occasio, qua mitterem, defuit. Spero autem im-
posterum, ut tarditas ipsa frequentia compensetur; modo
se offerant, quae scriptu digna videantur. Langermannum
editionem novam Josephi meditari, narravit mihi ante
aliquot menses ejus patruelis: sed an brevi id ab eo expectari
queat, nondum intellexi. Si Monachicis codicibus poti-
ri possem, fortasse aequo animo careren Viennensi. nam
cum chartaceum esse, docuit me nuper Amplissimus Conrin-
gius, qui id e catalogo Manuscriptorum Bibliothecae Caesareae,
qui penes Serenissimum Principem Augustum est, didice-
rat. Non igitur admodum antiquus fuerit. Ejus noti-
tiam ipsi Langermanno debeo. Quem vix dubito, ab eo
fuisse aut collatum, aut saltem inspectum. Idque an ita
se habeat, planissime cognoscam, cum Hamburgo responsum
accepero. Interea Bibliopola veteris editionem, ejusque par-
tem proximis nundinis Francofurtensibus ad se mitti cu-
pit. Alterum in bibliotheca Oxoniensi asservatur exemplar
Josephi, cui varias Codicum Parisiensium Casaubonus
adscripserat, indagaturum se per amicum promisit mihi

68v

1

Vir quidam Generosus, qui ex Anglia Belgioque reduc-
tum me invisebat. Qui et narrabat, se ex R. P. Henschenio
Antwerpiae audiisse, eum qui nunc Bibliothecae Vatica-
nae praeest, admodum difficilem ac morosum esse; adeo quidem,
ut sibi Codices aliquot MSS. inspecturo necesse fuerit
Pontificem ipsum adire eius rei causa, ut optatis poti-
retur. Exigua igitur spes fuerit aliquid ab eo
obtinendi. Mataeusne, an alius quidam esset, adfir-
mare non possum. nam id vir ille, qui ex dixi, ignorabat.
// <u>Nostra de Rebuspublicis</u> Tuis, Illustrissime Domine, oculis
digna non sunt. Attamen cum absolvero, libens descri-
pta mittam. Nunc enim Introductionis partis non nisi
exigua pars confecta est. Nam superiori aestate ac
autumno profectionibus aliquot, nuper autem valetu-
dine adversa, qua per duos pene menses usus sum,
non parum opera isthaec nostra sufflaminata est. Acce-
dunt subinde occupationes aliae cum publicae, tum priva-
tae quaedam, molestae illae quidem, sed tamen, ut in exiguo
isthoc salario, quo fruor, vitam sustentare queam, neces-
sario sustinendae. Quibus fit, ut illis studiis, quibus
// maxime vellem, non satis vacare possim. // <u>Reinesii Opus</u>
Inscriptionum, cuius titulum antehac misi, una cum Ono-
mastico jam ad finem perductum est, expectatque qui
sumptus suppeditet in praelum. Narravit mihi is, qui
supra laudatus, vir Generosus, se Comitem quendam itineris
in Belgio sic cognovisse, a Christianissimo Francorum Rege

distinctam regestumque summis eruditis in Germania viris,
eiusque partem jam ad quosdam missam. Ajebatque comes
ille, se vidisse in Gallia indiculum eorum, quorum erudi-
tio Regi commendata fuerat. Addebat, quosdam ejusdem
Christianiss. Regis mandato et in Hispania viros doctos, sed nemi-
nem scriptis celebrem repertum. Utinam illa munificentia
Reinesianum opus promoveri possit, atque Barthiana
quaedam scripta e latibulis suis extrahi! Nam et hic
bibliothecae defuncti D. Musaei Anti-Maresiana tandem prod-
ibunt; Anti-Vorstianum scriptum mitto. Coepit jam rece-
re quosdam locos Theologicos; sed haud dubie tarde et isti
processuri. A Weigelio a quattuor amplius annis nihil
proditum, praeter unam disputationem, quam mitto. Adornat
Systema Matheseos universae methodo Euclidaea; jussu
Serenissimi Principis Ernesti jam Germanice conscriptum,
sed nondum editum: quod bibliothecae Germanico sermone
accedi noluit. Analysin ejus Aristotelicam ex Euclide re-
petitam, qua magnam sibi invidiam conflavit, jam vidisse te
puto. Bechmanni, Professoris Logici et Metaphysici, nihil
exstat, praeter Dissertationem de Scientia media, ante annos
circiter quinque editam. quam si nondum habes, faxo ut
brevi accipias. quaedam et tractatum ejus brevem de ratione
solvendi sophismata. nam disputationes aliae a discipulis eius
elaboratae sunt; Logicam et Physicam in gratiam scholae
Gothanae elaboratas pro suis haberi non vult. Ipsius autem
Logica, ac Hypotheses Stahlianis scriptae, jam sub prelo
est. Posneri nullae quidem dissertationes Physicae
exstant, sed disputatae omnes. Si quas tamen nancisci potero

17

re, mittam, cum primum nactus fuero, una cum aliquot Berneggerianae Synopseos. quae quidem tota Berneggeri est, ille enim quaequam innovare voluit: etsi alicubi opus esse videretur.

|| Ministrissimi vocabulum Schröterus a Gallis noviter adinventum, et paucissimis tempore Cardinali Mazarino in Gallia administrante oriri coepisse ait, cum superbas quasdam literas hoc titulo sibi inscribi non erubuisset. Quam vere, adfirmare non possum. Puto autem nil aliud eo significari, quam Primarium Ministrum. Olpiana de abusu Principiorum Politicorum nil nisi vulgatissima de Republica antiquis speciebus tradunt. Itaque non audeo ad Te mittere, Maecenas gratiosissime. Deest ei viro non tantum experientia rerum civilium, sed etiam eruditio et judicium. Verbo, pecus est. || Ex Suecia his diebus significavit mihi Joannes Schefferus Professor Upsaliensis, se jam edere Arrianum et Mauricium, Tacticum utrumque Graecum, nunquam antea editum, alterum Roma quondam a Cl. Holstenio, alterum Parisiis a Cl. Bigotio ad se missum, versum utrumque in Latinum sermonem, notisque illustratum: item de natura et constitutione Philosophiae Italicae librum singularem, magnique operis de Philosophia Pythagorica velut prodromum. Similiter coepit et Speculationes Politicas ad Livium, haud displicituras, opinor, prudentibus et eruditis. || Audio prodiisse in causa Erfurtina Scripta pro Eminentissimo Electore Moguntino: sed videre nondum licuit. Mihi veniam dabis, Domine, rogarem ut eo potiri possim. Nec dispensatio Gotha necdum communicata est, sed hac ditione, ut statim admitterem. Laudi superest, Illustrissime Maecenas, divinae protectioni Te cum Illustrissima familia, me vero Tuae gratiae patrocinioque humillime commendo.

Illustrissimae Generositatis Tuae

Dabam XXV Jan.
A. Ch. CIƆIƆCLXIV.

devotissimus
JHBoecl.